



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

Symbolum XIX. Narcissus & Hyacintbus pueri, in flores convertuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ad fontem bibiturus accessisset, imprudens in eo lavantem Minervam conspexit, & aspectum incautum cæcitate luit.

## SYMBOLUM XIX.

### Narcissus & Hyacinthus pueri in flores vertuntur.

3. *Metam.*

Ethicè.

1. Amor sui. 2. Vanitas formæ. 3. Cognitio sui. 4. Amoris inhonesti finis. 5. Ornamenta pueritiæ.

**N**arcissum præstanti forma adolescentem fuisse, & cum semet in fonte limido (naturali speculo) intueretur, admiratione & amore suæ pulchritudinis captum, expleri tuendo nequijse, adeoque contabuisse, & in florem sui nominis abiisse, gens Poëtarum fabulatur. Figmentum ita se habet.

*Cepheis* amnis & *Liriope*s Nymphæ filius fuit, puer omnium sui temporis longè formosissimus. De hujus futura fortuna cum mater *Tiresiam*, vaticinijs per Bæotiam clarum, consulisset, respondit senex fatidicus: *ad maturam senectutem perventurum, si se ipsum non novisset.* Cujus quamvis ambigui dicti veritatem, eventu certo comprobata docent sequentia. Adolescentiam jam ingressus Narcissus, cum ipsas etiam Nymphas amore sui captas teneret, nequè tamen ullius desiderijs se permetteret, denique seipsum nimium amando perdidit. Fortè lassus à venatione ad amœnissimum quendam fontem, loco umbroso & gelido scaturientem accessit inclinatusque ad undas crySTALLINO vitro perlucidas, ut sitim hausto liquore restringeret, aliam sibi accendit, nullis aquarum scatebris sedandam. Contemplatus enim suiipsum in undis quiescentibus formam, efflictim amare coepit, quod vidit. Quis referat, quibus æstibus jactaretur infelix adolescens? quoties mirabatur seipsum, seque pariter accendebat, & à se ardebat! quoties irrita fonti libavit oscula! quoties umbram ipse suam vanis captabat brachijs! à fontano frigore crevit amoris flamma; nec potuit avelli ab illo, quem videbat & deperibat; qui discederet utique, si posset ipse Narcissus recedere! quoties tentavit amplexibus stringere, quem amabat; & tamen ama-



us refugiebat. Mirus lusus imaginantis & imaginis. Quoties ridenti corripit alter, & lacrimanti falsò, veras miscuit lacrimas? Denique cum impatientia amoris excluderet eibum, potumque, assiduas inter potendi, raptique voti querelas & planctus, lenta consumptus tabe adolescens, in florem purpureum, vel (ut vult Ovidius) croceum, candidis distinctum folijs, narcissum scilicet, Narcissus mutatus est.

## Ethica.

I. (a) Φιλαντίαν seu amorem sui habes in hac imagine expressum, de quo Horatius lib. 1. Od. 18.

----- Subsequitur cæcus amor sui,

Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem

Nimirum existimatio & admiratio sui ipsius caput altius, quam par est, attollit, sibi que supra verum indulget, & animos inflat, præsertim si adulantium & laudantium flabellum accedat. De qua re Seneca epist. 59. Citò, ait, nobis placemus, si invenimus, qui nos bonos viros dicant, qui prudentes, qui sanctos: agnoscimus, nec tumus modica laudatione contenti. Quidquid adulatio in nos sine pudore congescit, tanquam debitum prendimus: optimos nos esse, sapientissimos, affirmantibus assentimur, cum sciamus illos sæpe mentiri. Et Plutarchus, amor, inquit, proprius facit, ut quisque sui ipsius assentator cum sit primus atque maximus, non difficulter admittat externum, quem putat ac vult sibi accedere testem, ad stipulatorumque. De his Plautus in Mil. Glor.

Mihi ego video: mihi ego sapio: mihi ego credo plurimum.

Laborant hoc maxime vitio adolescentes, feminaeque, quæ sibi formosiores cæteris videntur, unde Poëta:

Fastus inest pulehris, sequiturque superbia formam.

Quare se ipsum Narcissus ita deperierit, in causa fuit venusta facies ex undis reddita. Describit eam Ovidius:

Ac stupet ipse sibi, vultuque immotus eodem

Hæret, ut e Pario formatum marmore signum.

Spectat humi positus, geminum sua lumina sidus,

Et dignos Baccho digitos, & Apolline crines,

Impubesque genas, & eburnea colla, decusque

Oris, & in niveo mixtum candore ruborem.

II. (b) Sed notanda Poëta verba, quibus vanitatem formæ, & admirationis sui ipsius perstringit:

M 2

Spem

(a) Amor sui. (b) Vanitas formæ.



Spem sine corpore amat, corpus putat esse, quod umbra est.  
 Quid fugacius umbrâ? quid labilius formâ? *Homo quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra.* Job. 14. Id quod nomine ipso Narcissi denotatur, qui dicitur *ἀπὸ τῆς νάρκωσιν*, quod marcescat citò.  
 Pergit Vates Pelignus:

Quid videat, nescit; sed quod videt, uritur illo:

Atque oculos idem, qui decipit, incitat error.

Verissimè nesciunt, quid videant, quicumque aspecta pulchritudinis amore capti, cæcas alunt in pectore faces, stygios aliquando rogos accensuras. *Error est, qui decipit incautos oculos, fucus, larva, gypsus.*  
 Tritò versiculò:

Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.

Prosequitur Ovidius:

Credule, quid frustra simulacra fugacia captas?

Quod petis, est nusquam: quod amas, (avertere) perdes.

Fugacissimum simulacrum forma est; perditur, dum amatur; propterea *fiori* comparatur in quem conversus est Narcissus. Eleganter Tirraquellus lib. 2. connub. n. 19. Forma res caduca, evanida, fugax, decidua, velox, fluxa, rapida, eodem penè momento virens & arefcens; non secus ac flosculi, quorum vita dialis, qui matutino tempore pulcherrimi, ante vesperum evanescent, magna (ut scribit Plin. lib. 21. c. 1. hominum admonitione, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescere. Et Galeni dictum est: *Qui formosus est, tantisper est, dum videtur.* Propterea sapientissimus in Proverbijis cap. ult. *Fallax est gratia, & vana est pulchritudo.* Virgilius, vel quisquis est autor in *Carminibus de Rosa*, sic canit:

Collige, virgo, rosas, dum flos novus, & nova pubes,

Et memor esto ævum sic properare tuum.

Et Ovidius lib. 2. de arte:

Forma bonum fragile est, quantumque accedit ad annos,

Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.

Nec semper viola, nec semper lilia florent,

Et riget amissâ spina relicta rosâ.

Socrates apud Laërtium in vita Aristotelis, formam appellat *ὀλιγοχρόνιον τυραννίδα*, exigui temporis tyrannidem. Egregiè S. Hieron. epist. 139. in explicat. psal. 89. Species, ait, hominum fragilis, vernat in parvulis, floret in juvenibus, viget in perfecta ætatis viris, & repenti, dum



dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis extenta contrahitur & exarescit.

III. (c) Atque hæc de vanitate melioris formæ. Nunc quisquis es, Narcissule, exemplo ductus cognomine, *philavriam* cave; quamvis tibi blandum illud occinat Corydon aliquis:

Huc ades, o formose puer, tibi lilia plenis  
Ecce ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Nais  
Pallentes violas, & summa papavera carpens  
Narcissum, & florem jungit benè olentis anethi.

Insidiosum & multorum exitio periculosum est carmen. Potiùs ex eodem Poëta audias:

O formose puer, nimium ne crede colori,  
Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Nais & Thais vicina sunt nomina; flores ferunt, & auferunt. Tiresias monet:

Tempora maturæ visurus longa senectæ  
Fatidicus vates, si se non noverit, inquit.

Hæc ille Narcisso. At tu, si me auscultas, fac, *teipsum noveris*.  
Accipe ænigma: *cum te benè noveris, minime te noveris*, disces enim,  
----- quàm totus homuncio nil sit.

Disces, in deformi corpore, pulchrum latere ingenium, & hebes in formoso. Ovid. epist. 15.

----- ingenio formæ damna rependo meæ.

Neque rarò videmus comptulos Narcissulos, esse cerebro vacuos, & quod in adagijs est, *pistillò retusiores*. Euripides ait:

Animus spectandus est: nihil pulchritudo  
Juvat, cum quis mentem non bonam habet.

Et Seneca epist. 66. *Potest è casa vir magnus exire; potest è deformi, humilique corpusculo formosus animus ac magnus; ut intelligamus, non deformitate corporis foedari animam, sed pulchritudine animi, corpus ornari*. Simiæ, quod Ælianus narrat lib. 17. c. 25. obiectis speculis capiuntur, quæ suæ formæ aspectu delinitæ tamdiu aspiciunt, donec hebescant oculi, & cacutientes faciliorem sui capturam faciunt. *Amorem sui* esse puta simium; videndo perit. Simiæ cum pererint dicuntur tanquam statuas defixis oculis foetus intueri, pulchritudinem admirantes. Faciunt idem, qui sibi stultè blandiuntur sive de formæ præstantia, sive profapia generis, sive opum affluxu, sive hono-



rum fulgore, five ingenij felicitate, quibus omnibus occinas, quod Narcisso Ovidius:

*Tua te fallit imago. Et illud: Te perdis, dum te queris.*

Huc facit, quod narcissus sit flos Dijs inferis sacer, ut qui floreat tantum, & transeat, neque ullum ex se fructum edat: ita & ingenia præcocia (Narcissos puta comptulos & gratiosulos) haud facile perveniunt ad frugem. *Farnabius.*

IV. Ad Narcissum adjungendus videtur alter adolescens, *Hyacinthus* nomine, de quo Ovid. lib. 10. *Metam.* Natus is erat *Amyclis*, urbe *Laconiæ*, *Apollini* comprimis charus. Qui dum cum adolescentemte exercet se lusu disci, fortè orbis lusorius per inane giratus, in humum solidiorem incidit, indèque subsiliens, magna vi illisus est in frontem *Hyacinthi*, discum tollere properantis. Accepto vulnere puer collapsus, extinguitur. Cruor in florem cognominem, seu lilium purpureum vertitur. In folijs hujus floris ita discurrere venæ, Græcarum ut litterarum figura *ai ai* legatur inscripta; quæ sunt voculae lamentantium, nam *Phæbus* doloris sui argumentum perpetuum in *hyacintho* flosculo extare voluit. Eadem syllabæ initium sunt nominis *Aiacis*, qui Græcè *aias*, de quo inferius *symb. 74*. Is præ indignatione, ob prælatum sibi in judicio *Vlysem*, in suummet gladium incubuit.

----- rubefactaque sanguine tellus

Purpureum viridi genuit de cespite florem,

Qui prius *Oebalio* fuerat de vulnere natus.

Scilicet de *Hyacinthi* sanguine; cujus nomen, quemadmodum *Narcissi*, pro venusto puero usurpatur. Diximus, quàm labile sit bonum *Forma*, quàm citò decidat, instar floris evanescat; *Plinio* teste, quæ spectatissimè florent, celerrimè marcescunt. Et aptè *Veri* respondet juvenus; ipsa enim est quasi ver ætatum, sed breve & evanidum.

(d) Nec forma tantum, sed voluptas etiam, quid aliud est, quàm flos temporis? dum ludimus, dum lascivimus cum *Hyacintho*, repente nos destituit, & in terra deponit.

Est & hoc in *Hyacintho* observandum, quòd non minùs *Zephyrus*, quàm *Apollo*, ejus amore captus sit, & alter alteri delictum suum præripere studuerit. *Zephyrus* æmulatione concitatus, flatu suo discum à *Phæbo* emissum, in *Hyacinthi* caput impulit. Ita fieri solet minùs castè vel amantibus, vel amatis; Amor ipse carnifex est, si non corporis, certè animæ. Viveres, *Hyacinthe*, si minùs & tu placuisses rivalibus;

(d) *Auroris inhonesti fuit.*

libus;



ibus; & tibi minùs placuissent Apollinis citharæ, sagittæ, lusus: Zephyrique blandi susurri. Te corculum suum appellabant, ut tibi vitam eriperent, alter jactu, alter flatu: à lætis principijs, quàm tristis exitus! Quàm multi generis hujus flosculi in stygio torrenturclibano, quorum perpetuum *ai ai*, seu *væ, væ!* inter infelices umbras, & umbrarum pœnas resonat.

V. (e) Et quia *Narcissus* & *Hyacinthus* sunt amabilia puerorum, ut diximus, nomina, locus hic monet, ut de pueritiæ ornamentis aliquid meminerimus. Inter ea, laus est præcipua modestiæ, verecundiæ, innocentia. Sicut ex aquis resplendet vultus, ita ex vultu animus. Index horologii loquitur, quales rotularum intus sint conversiones & revolutiones. Siracides ait cap. 8. *Sapientia* (id est probitas & innocentia) *lucet in vultu ejus*. Verecundia in moribus est tanquam gemma rutilans, pudicitia comites, naturæ commendatio, famæ custos, virtutis decus, honestatis nota, innocentia testis, ornamentum vitæ, rerum decentium honestarumque procreatrix & alumna, omnis turpitudinis inimica. Hujus color est pulcherrimus, ut accepimus interrogatam respondisse filiam Aristotelis Pythiadem. Est quippe virtutis color, uti confirmabat Diogenes, cum verecundo rubore perfusum adolescentem intueretur. Et profectò nihil fieri potest pudibundo adolescente amabilius. In quo quidem ætatis gradu, magis se prodit hic affectus: propterea quòd & tenera frons est juvenum, pudoris sedes; & calor aliquantò major, qui sese cum sanguine in faciem spargit, quoties erubescunt. Præterea in corporibus naturaliter venustis ac decoris, nescio quomodo magis decora, magisque pulchra est verecundia, & veluti ars probati artificis in materia commodiore ac meliore perfectius eminet, atque elucet; non secus, atque ebur inclusum auro, aurum gemmis, duplici splendore clariùs enitescit. Accedit formæ & verecundiæ tertium decus, mundities cordis. Præclare S. Bern. tract. de ordine vitæ, sive de doctrina pueorum: Pueri, inquit, à puritate dicti sunt, & decet, ut regnet in eis simplicitas, & innocentia, & puritas, hoc est, virginitas; cum his crescant, & in his perseverent, ut mereantur sequi *Agnum*, quocunque jert.



SYM.

(e) Ornamenta pueritiæ.